



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 4. Qualitas Hispaniae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 2. *Figura Hispaniæ.*

PRIMÒ Corio Bubulo similem facit *Strabo* lib. 3. εἰς Βύβρον.

SECUNDÒ quadratæ figuræ ait esse *Iustinus* lib. 44.

TERTIÒ Trigonam faciunt illam *Orosius*, & *Ætolicus*.

§. 3. *Quantitas Hispaniæ.*

TAM vastam ait esse *Appianus* in Ibericis, vt vna regio credi non possit: postea tamen *longitudine*, & *latitudine* decem Stadiorum millia implere asserit.

Plinius quoad *latitudinem* inæqualem tantùm esse ait, *longitudinem* mille octoginta duorum passuum tradit esse.

Strabo denique distinctiùs *longitudinem*, sex millium Stadiorum, *latitudinem* quinque pronunciauit.

§. 4. *Qualitas Hispaniæ.*

CONSIDERATUR in ea *Fertilitas*, *Diuitie*, *Frequentia populi*.

FERAX. Omni genere fructuum abundare *Iustinus* putat. *Solinus* nihil in eâ otiosum, nihil sterile: quidquid negat messem vigere pabulis, loca etiam sterilia materiam funibus nauticis sufficere, quod tamen *Strabo* negare videtur. Laudatur eius quoque oleum, laudantur & lana, *Minium*, *Equi*.

DIVES, vt ostendetur postea in *Lusitanis*, *Gallæcis*, *Asturibus*, & *Celtiberis*. Certè *Nonnius* ex *Liui*o colligit *Hispaniam*, paucis annis, Romanis dedisse sexcenta millia infecti *Argenti* pondo, *Argenti* *Oscensis* quadraginta millia, *Auri* circiter decem, præter signati copiam infinitam. Nec prætereundum est, ex puteis *Argenti* ab *Annibale* effossis, reddidisse quotidie ccc pondo.

POPVLOSA quàm fuerit ex *Bæticâ*, *Gallæciâ* & *Celtiberiâ*, partibus eius, colligetur.

§. 5. *Mores Hispanorum.*

VITIVM in eis vnum arguebant veteres quòd factiosi essent: sed etiam asserunt illud à *Græcis* hausisse; at in iis quinque potissimum